equalis: numquam se minus ociosum esse quam cum
ociosus: nec minus solum: quam cum solus esset.

Sed quia sic ab hominibus doctis accepimus: non
solum ex malis minima oportere eligere;
sed etiam excerpere ex iis ipsis si quid in es-
set boni.

Qui autem omnia metiuntur emolumentis & com-
modis: neque ea uolunt preponderari honestate
ii solent in deliberando honestum cum eo quod
utile putant: comparare boni uiri non solent.

Detrahere igitur aliquid alteri: et hominem hominis
incomodo suum augere comodum: magis est contra
naturam quam mors: quam paupertas: quam dolor: quam cetera
que possunt aut corpori accidere: aut rebus ex-
ternis

Sic si unusquisque nostrum rapiat ad se comoda
aliorum detrahatque quod cuique possit emolu-
menti sui gratia: societas hominum comunitasque
euertatur necesse est.

Nam sibi ut quisque malit: quod ad usum uite
pertineat quam alteri acquirere: concessum
est non repugnante natura: illud natura
non patitur: ut aliorum spoliis nostras facul-
tates copias: opes augeamus.

License: CC-BY-NC – Cologny, Fondation Martin Bodmer, Cod. Bodmer 172, f. 93v – Anthologia latina
(http://www.e-codices.ch/fr/fmb/cb-0172/93v)